

»tolica auctoritate accepit«. Ita Augustinus scribens (13): »quod  
»vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper reten-  
»tum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime credi-  
»tur«. Quam iuxta regulam, si consuetudinis alicuius in Ecclesia  
obseruatae originem non possumus ad aliquod Concilium, vel sum-  
mum Pontificem referre, ex apostolica illam auctoritate descendisse  
vere iudicamus: vt de minoribus ordinibus Canus argumentatur (14).

## CAPVT VII.

*Quaenam sit Ecclesiae catholicae in Theologia auctoritas.*

Ex vnanimi Ecclesiae per orbem dispersae sensu fir-  
mum ducitur argumentum ad Theologiae dogmata  
comprobanda.

Ecclesiae nomen origine graecum est, quod latine idem prorsus so-  
nat ac euocatio, vel conuocatio; nempe in vnum aliquem coetum. Hoc  
autem discrimen Synagogam interest et Ecclesiam, quod antiquus  
ille populus ex aquo et Ecclesia, et Synagoga nuncupatus est; plebs  
vero christiana numquam Synagoga fuerit appellata. Hoc vero ex  
eo prouenire Scriptores ecclesiastici obseruarunt, quod Synagoga, quae  
congregatio etiam dicitur, hominum perinde ac animantium sit; con-  
gregari enim pecora solent; sed Ecclesia, quae conuocatio audit, spi-  
ritualium solum, siue credentium collectionem complectitur: non enim  
conuocari nisi homines solent; cuius quidem discriminis Augustinus  
primus habetur auctor (1).

Non vna tamen est huius nominis acceptio. Minus quandoque  
proprie pro loco sumitur, in quem Dei cultores conueniunt; secundum  
illud Paulli 1. ad Corinta. xi. v. 22. »numquid domos non habetis ad  
»manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?« Prop-  
rie vero accipitur pro ipso fidelium coetu, vt in Psal. cvi. v. 32. »Ex-  
»altet eum in Ecclesia plebis«. Licet generaliter vox illa quandoque  
vsurpata sit pro quacumque concione, siue fidelium, siue infidelium,  
siue piorum, siue impiorum.

Ec-

(13) Lib. iv. de Bapt. contra Do-  
nat. cap. 24.

(14) Lib. iii. cap. 4.  
(1) In Epist. ad Rom.

Ecclesiae huius proprie dictae triplex praeterea fertur significatio:  
amplissima vna, quae et Sanctos in Coelo regnantes, et eos qui Dei  
iustitiae in purgatorio satisfaciunt, et eos qui in terris militant, com-  
prehendit: alia minus ampla amplectens fidelium coetum, vnam eam-  
demque fidem, siue ante, siue post Christi ortum profitentium: ter-  
tia demum hominum societatem designat, qui Christi Baptismate con-  
signati sunt; de hac sermo nobis erit, quaeque apte definitur: »coe-  
»tus hominum vnius eiusdemque christianae fidei professione, co-  
»rūdemque Sacramentorum communionē, sub vno legitimo ac vi-  
»sibili capite Romano Pontifice, congregatus«. Ex qua definitione  
perspicue colligitur nullam esse cum hoc mystico Christi corpore soci-  
etatem et coniunctionem haereticis primum, et infidelibus, qui Chris-  
ti fidem non profitentur; deinde cathecumenis, qui nondum facti  
sunt Baptismi participes; et excommunicatis, qui per Ecclesiam a  
Sacramentorum participatione semoti sunt; ac tandem schismaticis,  
qui licet fidem intra Ecclesiam profiteantur, et Sacramenta percipiant,  
visibili tamen Ecclesiae capiti subesse nequeunt. Sed de Ecclesiae  
membris alia suo loco subiciuntur, quae a nobis nec possunt, nec  
debent praeteriri. Illud hic addendum: Ecclesiam, quae in Scripturis  
tamquam *ouile*, atque *Christi corpus* describitur, non oues tantum,  
sed et Pastores, nedum membra, sed et caput in se habere: scilicet  
Ecclesiam integrat et fideles, qui Christo per Baptismum nomen  
dedere, et ipsi Ecclesiae Pastores, nempe Episcopi, in quibus Eccle-  
siae auctoritas potissimum residet.

Hanc vero catholicam Ecclesiam auctoritatem, atque vnanimem  
sensum firma argumenta suppeditare ad fidei morumque dogmata com-  
probanda, quod supra statutum est, his momentis demonstratur. Pri-  
mum: Ecclesiae catholicae, seu per orbem dispersae vnanimis sensus  
infallibilis prorsus est: ergo quod ex illo sumitur argumentum firmum  
euadat necessum est. Probatur antecedens primo: Ecclesiae fidem  
deficere non posse illud probat, quod Ecclesia Christi sponsa est per  
fidem, eique sponsata in sempiternum, vt Oseae ii. v. 19. dicitur; at  
fides Ecclesiae vnanimis illius sensus est: ergo. Secundo: Ecclesia er-  
rare in credendo non potest, nisi posse errare Christum eius caput  
dicere quis audeat: quum enim ab eo moueatur, et regatur, velut  
corpus a suo capite, vt loquitur Paullus ad Ephes. v. illius error in  
Christum referendus foret; at hoc adserere horrendum esset atque  
blasphemum: ergo et adserere Ecclesiam vniuersam non esse infalli-

bilem. Sicut et alia Scripturarum loca huc collineantia, videnda apud Cantum (2).

Secundum argumentum: vnanimis omnium orbis Ecclesiarum consensus in vnum aliquod dogma infallibilis est: ergo et Ecclesiae catholicae sensus infallibilis sit oportet; ex eoque deductum argumentum firmum omnino. Probatur antecedens: consensus ille infallibilis est, cui oppositum dogma haeresis arguitur: atqui dogma vnanimi Ecclesiarum consensui oppositum haeresis declaratum fuit: nam Saturnini, et Basilidis errores, Valentini, Cerdonis, et Marcionis mendacia solo Ecclesiarum consensu damnata fuisse Eusebius testis est (3). Eundem Ecclesiarum consensum opponunt Irenaeus Florino haeretico, Hieronymus Vigilantio, Cyprianus his qui Nouatiano fauebant. Atque per hunc consensum confirmatas Synodos in Prouinciis habitas aduersus haereses insurgentes Eusebius ipse memorat (4). Accedit: non minus infallibilem consensum hunc esse, quam sit consensus omnium Ecclesiae Pastorum in Conciliis generalibus congregatorum: ut enim Episcopi in Conciliis adunati errare non possunt, quod vniuersam repraesentent Ecclesiam, nec errare poterit Ecclesia vniuersa ex particularibus Ecclesiis constituta.

## COROLLARIUM.

Est insuper Ecclesia societas visibilis seu sensibus patens; indefectibilis quoque penes partem etiam externam et visibilem. Ecclesiae visibilitas vel ex eius definitione superius data colligitur, quae quum visibile caput, et visibilem fidei professionem, Sacramentorumque participationem supponat, et corporis visibilis rationem habeat necesse est. Tum etiam colligitur ex his, quae de infallibili eius consensu nuper dicebamus: siue enim Ecclesia catholica pro fidelium concione accipiatur, siue pro Ecclesiis particularibus, siue earum Pastoribus, iisdem quibus euincitur infallibilem esse argumentis, euincitur et esse visibilem. His addi posset Scripturam sacram de Ecclesia, tanquam de visibili societate loqui. Sic Matthaei cap. xviii. v. 17. »dic »Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit«, cer. vt alia praetermitteram. Indefectibilitas vero ex Christi promissis supra memoratis constat. Quibus affine est illud Pauli i. ad Timotheum cap. vi. vv. 13. et 14. »praecipio tibi... vt serues mandatum sine macula, irre- »prehensibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi«.

CA-

(2) Lib. iv. cap. 4. (3) Lib. iv. cap. 7. (4) Eodem lib. x. cap. 16.

## CAPVT VIII.

*Haeticorum argumentis aduersus Ecclesiae catholicae auctoritatem fit satis.*

Locum hunc, quem Ecclesiae per orbem diffusae auctoritas constituit, imbecilliores heterodoxi existimant, quam vt ductis inde argumentis Theologica dogmata valeant confirmari. Ac Montanus quidem primus creditur fuisse, qui suis discipulis suaserit nullam Ecclesiae reuerentiam exhibendam esse, vt scribit Eusebius (1). Nestorium postea ausum esse adfirmare vniuersam Ecclesiam in errore a Doctoribus ignaris, quos sequitur, duci Lyrinensis testatur (2). Iconomachi, vt ex Synodo VII. generali habetur (3), Ecclesiam errasse in cultu et veneratione Imaginum sanctarum adseruere. Donatistas quoque et Rogatianos auctoritatem Ecclesiae factis contempsisse Augustinus testis est locupletissimus (4). Et vt ad Nouatores veniamus, Wiclefsum secutus Lutherus, huicque adhaerens Caluinus, Ecclesiam in multis errasse, eiusque propterea auctoritatem imbecillum fractamque esse, passim in suis scriptis mentis sunt, pestilentissimum hoc doctrinae depositum Lutheranis et Caluinianis suis relinquentes.

Illorum autem praecipua argumenta sunt huiusmodi. Primum: Ecclesia Christi errare in fide et religione potest; at hoc ipso eius consensus, etsi vnanimis, firmum argumentum praestare non poterit pro Theologiae dogmatibus comprobandis: ergo. Probatur maior propositio: Ecclesia antiqua errauit in Aarone, aliisque ex plebe virum conflabilem adorans: ergo et Ecclesia Christi obnoxia est similiter errori. Secundum: Ecclesiam temporibus Isaiae et Ieremiae errasse in cultu vnus veri Dei clarissima eorumdem Prophetarum testimonia demonstrant. Videlicet illud Isaiae i. v. 3. »cognouit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non »cognouit«. Illud etiam Ieremiae cap. ii. vv. 26. et 27. »confusi sunt »domus Israel, ipsi et Reges eorum, Principes, et Sacerdotes, et »Prophetae eorum dicentes ligno: pater meus es tu; et lapidi: tu »me genuisti«. Igitur et Christi Ecclesia poterit similiter errare, quum vna eademque Ecclesia sit. Tertium: licet Synagoga maxima a Deo promissa acceperit, errauit in damnando Christum: ergo et Eccle-

sia

(1) Lib. v. cap. 16.

(2) In lib. de proph. nouit.

(3) Act. vi. (4) In Epist. ad

Vincent. 48. aliis etiam in locis.

sia errare poterit, quamuis a Christo plurima acceperit promissa.

Quartum: Apostoli omnes Christi fidem passionis Dominicae tempore amisisse constat ex cap. Marthaei xxvi. vbi dicitur: »omnes vos »scandalum patiemini in me in ista nocte: percutiam pastorem, et »dispergentur oves gregis«. Cui consonant textus Lucae xxiv. et Marci xvi. Constat deinde ex Augustino scribente (5): »omnes discipuli »desperauerunt quod ipse esset Christus: a Latrone Apostoli victi »sunt, qui tunc credidit quando ipsi defecerunt»: ergo et Episcopi omnes Ecclesiarum particularium, qui Apostolis succedunt, fidem amittere possunt.

Quintum: singulae Ecclesiae non habent erroris immunitatem: peruiulgatum enim est Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam Ecclesias errasse; quod et aliis particularibus accidit saepius: ergo nec vniuersalis Ecclesia ex illis coalescens illam habet immunitatem. Sextum: siue Ecclesia pro concione fidelium sumatur, siue pro Pastoribus vel Episcopis, nullum ex eius auctoritate firmum sumi argumentum potest: quemadmodum enim impossibile videtur fidelium omnium sensum in fidei quaestione requirere; videtur vel maxime possibile Pastorum sensum a Christi fide posse esse alienum: nullo igitur pacto ex Ecclesiae sensu et auctoritate sumtum argumentum firmum in Theologia erit.

Ad primum quidem non vna tantum responsione fit satis. Ac principio falsum esse dicimus Ecclesiam vniuersam in vitulo adorando errasse: nam nec Moses, nec Iosue, qui populum regebant, nec ceteri omnes qui in castris erant fideles in communem plebis idololatriam inciderunt; quum ex Scripturis sciamus ad Mosi vocem illi adhaesisse filios Levi, qui certe, et pro Domino steteret, et sceleris ab aliis admissi socii non fuere. Accedit, Aaronem tunc temporis Sacerdotem non esse, nec proinde Ecclesiam repraesentare; quod non vnicuique adsertum volumus, Pastores nempe Ecclesiam repraesentantes errare in fide et moribus omnes simul non posse. Secundum vero solum iam pridem ab Augustino reperimus his verbis: »plerumque (6) »sermo diuinus impias turbas Ecclesiae sic redarguit, tanquam omnes »tales sint, et nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admo- »nemur in suo quodam numero eos dici omnes, id est, omnes filii »gehennae. Isti ergo, vel imperito, vel fallaciter agentes colligunt de »Scripturis talia, quae vel in malos bonis vsque in finem permixtos, »vel

(5) In Psalm. LXXVIII.

(6) In lib. de vnitae Eccles. cap. 12.

»vel de vastatione prioris populi Iudaeorum dicta reperiuntur; et volunt »ea detorquere in Ecclesiam Dei, vt tanquam defecisse ac perisse de »toto orbe videatur«. Itaque ex Augustino oracula Prophetarum, licet vniuersum populum reprehendant, in malos tantum inuehantur, quibus si boni comparentur fere nullos esse apparet: quinimo non reprehensiones, sed praedictiones acstemandae sunt, quibus populus iudaicus, qualis post Messiae aduentum erat futurus describitur. Ad tertium dissoluendum hoc ex multis Synagogam inter et Ecclesiam discrimen adsignare sufficet: Dei promissa Synagogae facta temporaria fuisse; quae vero a Christo Ecclesiae factae fuere promissiones, absolutae fuere atque perpetuae.

Ad quartum sic respondetur: omnes Apostolos fidem perdidisse pugnat primum cum Scriptura, quae Marthaei cap. vltimo haec habet: »discipuli abierunt in Galilaeam, in montem vbi constituerat »illis Iesus; et videntes eum adorauerunt; quidam autem dubitauerunt«. Quod si id tantum contenderet argumentatio, Apostolos scilicet in fidei professione defecisse, aut in fide viuam, quae per dilectionem operatur, in illam forsitan nos sententiam adduceremur; sed eos velle omnes a rectis fidei semitis aberrasse, non solum illis, sed Christo et Ecclesiae grauissimam iniuriam infert. Hac doctrina Augustinum interpretati sumus. In quinto soluendo fatemur libenter singulas Ecclesias, ex hominibus scilicet constitutas, errare posse in negotio fidei; ac re ipsa errasse Alexandrinam, ceterasque de quibus argumentum. Hinc totam Ecclesiam errori esse obnoxiam, ex quo homines singuli possint errare, fateri opus esset, nisi diuinae procuratoris ratio haberetur; atqui Christi Domini verbo Ecclesiae infallibilitas firmata est; licet singula, quae mysticum hoc corpus constituunt errore infici possint, singularesque Ecclesiae quandoque errauerint. Ad sextum dicendum: duplex esse veritatum genus, quae ab Ecclesia creduntur. Aliae siquidem ad omnes spectant, vt Deum hominem assumissem, ac pro hominibus mortem optissem. Aliae, quarum notitia ad maiores, et sapientes spectat, vt Epistolam Pauli ad Hebraeos esse canonicam, aliaque id genus. In his ergo quae sunt prioris generis, communis fidelium sensus inquirendus est; non sic tamen vt seorsim rogentur singuli, quod molestum esset ac ridiculum, sed eorum tantum fidem, quae sese statim prodit, considerando. In his vero quae ad doctos et maiores attinent, horum vnicuique sensus explorandus est; qui absdubio infallibilis erit, ex his quae hucusque

dicebamus; quaeque sequentibus libris addenda erunt, ut Ecclesiae Pastorum auctoritatem plenius vindicemus.

## APPENDIX.

Quod si Ecclesia audienda est, quae illa vera? Multae sunt enim christiani nominis sectae, quae sibi hanc arrogant dignitatem: vera tamen esse non potest, nisi vna tantum, quae verae Ecclesiae characteres seu notas habeat. Has tamen, nobiliores saltim, nobis exhibuere Synodi Constantinopolitanae Patres, quum Ecclesiam *vnam, sanctam, catholicam, et apostolicam* dixerunt. Non enim ignoramus senario numero Augustinum Ecclesiae notas recensuisse (7): duas Hieronymum (8): tres Vincentium Lyrinensem (9): decem Michaelem Medinam (10); alios etiam plures adnumerasse. Ad primam ergo ex his quae Patres CP. recensuere notam venientes, Ecclesia *vna* dicitur propter vnionem et consensum omnium qui in Ecclesia sunt, cum Ecclesiae capite. Quam vnionem atque consensum expressit Paulus ad Ephesios iv. scribens: »solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, et vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrae. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma«.

Perfecta enim vnitas et consensus, cuiusmodi in bonis sanctisque reperitur, omnia haec requirit; vnum corpus, vno eodemque spiritu viuificatum atque vnam vocationis spem seu gloriam speratam; vnum etiam Dominum, vnumque Regem, ne monstruosa illa sit; vnam fidem, qua Dei populus constituitur, seu diuino cultui dicatur; vnum postremo baptisma, in quo ceterorum Sacramentorum inest communicatio; quo videlicet Christi membra sic colligata in vnum Christi corpus, quod est Ecclesia, coire valeant. Sed non in omnibus Ecclesiae membris vnitas haec aequae perfecta est; in quibusdam enim valde imperfecta reperitur. Sunt huiusmodi ea membra, in quibus spiritus viuificans non est, seu fidem in ea non influit; vt haeretici occulti quandiu ab Ecclesia non sunt exclusi; sufficit namque vnum Baptisma, atque vna eademque Sacramentorum communio, vt in Ecclesia esse dicantur; proindeque summum Ecclesiae Pontificem, ceterosque Praesules ac Ministros potestatem et iurisdictionem per haeresim occultam interioremq; amittere, non mo-

(7) Cont. Epist. fundam.

(8) In Comment.

(8) Adu. Luciferianos.

(10) Lib. ii. de recta fide.

do non certum, sed nec probabile quidem esse, plures lique nobilissimi Theologi censent.

Dicitur Ecclesia *sancta*, et intuitu doctrinae quam profitetur, et legum quibus regitur, et cultus diuini, cui addicta est, et sanctitatis Christi capitis, ad quam vocatur, vt ait Paulus ad Ephesios i. »elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, et immaculati in conspectu eius«. Hanc tamen internam sanctitatem Ecclesia certo habet in paruulis, et adultis nunc primum per Baptismum regeneratis; habet et in aliis pluribus: sed non in omnibus, quum in illa sint boni et mali, praedestinati et reprobi; quidquid reclament Wiclefus, Donatistae, Lutherani, et Caluinistae, quorum errores ex parabolis euangelicis de area, in qua cum tritico paleae sunt; de conuiuio, in quo inuentus est aliquis non habens vestem nuptialem; et de decem Virginitibus, quarum quinque erant fatuae; de repta tandem, ne omnes numeremus, in quo pisces mali cum bonis permixti erant, Theologi nostri oppugnare solent. Hinc nisi ineptissime Ecclesiam quis ea ratione diceret ortum conclusum, fontem signatum, sanctam, pulchram, perfectam, sine macula, et ruga, quod in illa nullus sit praescitus, nullus infirmus. Neque sanctitati Ecclesiae officiant malorum christianorum vitia; quae particularia sunt, et ab Ecclesia ipsa improbantur, corriguntur, damnantur.

Dicitur etiam *catholica*, quod non vni loco affixa sit, sed per orbem diffusa; vt in hoc etiam a coetibus haeticorum differat, quemadmodum Augustinus animaduertit (11). Quo certe Dauidis oraculum impletum agnoscimus. »Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae«. Psal. ii. v. 8. Tum etiam, quod non vno tantum saeculo, sed per omnia saecula ab eius exordio eadem semper extiterit, aeternum deinceps permansura; quum Christus eius auctor ipsi se adfuturum promissit. Demum, quod illius fides communis sit, et vniuersalis doctrina.

Dicitur postremo *apostolica*, quoniam in Apostolis initium habuit, qui fidem et doctrinam vniuersae creaturae tradiderunt, et a quibus legitima Episcoporum successio propagata est. Consulatur Tertullianus, qui hoc argumentum dilucide persequitur (12). Iam vero Ecclesiam vnam, sanctam, catholicam, et apostolicam eam tantum esse, quae Romanum Pontificem vt caput visibile habet, ex dictis consequitur. Principio enim ea sola vnum corpus est, vno eodemque

Tom. I.

G

(11) Lib. de vera relig. cap. 7. (12) Lib. de praescript.

spi-

spiritu rectum; vnam eandemque fidem amplectitur; vnum Dominum reueretur; vnum Baptisma profiteretur. Deinde in sola illa vera et incorrupta Christi doctrina permanet; quum sectae omnes in plurimis erent. Rursus: sola Christi Ecclesia omnium locorum est, omniumque temporum. Denique haec sola successionem legitimam Episcoporum ab Apostolis habet; quum sectarum mentiti Episcopi, non ab Apostolis, sed a turbulentis et ambitiosis hominibus, qui suis affectibus seruientes turbas et sectas excitarunt, originem trahant.

## CAPVT IX.

*De Conciliorum, potissimum generalium, grauissima auctoritate.*

Concilia generalia legitima infallibilis sunt auctoritatis: vnde ex illis ductum pro fide et moribus argumentum firmum certumque est.

Concilium latine, graece Synodus, hebraice Synedrium, Episcoporum coetum significat in locum vnum coeuntium, vt caussas eas definiant, quae ad Ecclesiae fidem aut mores pertinent. Quamquam enim singuli Episcopi singulas Ecclesiae partes regant; quandoquidem »Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur«, vt Cyprianus loquitur (1); tamen, quum opus est, in vnum locum conueniunt, et Concilium agunt, vt religioni prouideant. Errant igitur in media luce quotquot Synodi vel Concilii nomine, non Episcoporum ac Sacerdotum modo, sed et laicorum conuentum intelligunt: quare Lutherum morari nolumus, qui a Leone X. damnatus ad generale Concilium appellauit; sed noui generis Concilium, et omnibus retro saeculis inauditum, vbi de fidei quaestionibus non Episcopi et Sacerdotes iudicarent, sed rhetores et laicorum turba, qui non via et ratione, sed verbis et clamoribus praeuulerent: vt et Bucerus, qui in Ecclesiae Synodum cogi non debere nisi Dei filios commentus est. Quam huiusmodi hominum insaniam valide refellit Canus (2).

Concilia autem Episcoporum, quae veri nominis Concilia sunt, si ex vniuersis Ecclesiae Episcopis coalescunt, *Oecumenica*, seu *Generalia* vocantur; si vero ex vna Natione, *Nationalia*; si ex vna tantum

(1) In lib. de vnit. Eccl.

(2) Lib. v. cap. 2.

tum Prouincia, *Provincialia*; si demum ex presbiteris vnus dioeceseos, *Episcopalia*, seu *Dioecesana*. Et haec est quadrimembris Conciliorum diuisio apud Theologos, et Iuris Pontifici peritos vulgata. Nam si quod aliud Concilii genus a Romanis Pontificibus ex Episcopis diuersarum dioecesium, quos in vrbe Roma inueniri contingit, et ex Romanis presbiteris, aliisque ecclesiasticis viris celebratum ex Ecclesiae monumentis constat, mixtum illud ex prouinciali, et dioecesano erit, vt probe sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. animaduertit (3). A christiani nominis ortu nouemdecim generalia Concilia numerantur in Ecclesia catholica celebrata; quorum octo priora orientalia, reliqua occidentalia agnoscuntur. Inter nationalia celebriora fuere Carthaginensia, et Tolotana, de quibus non attinet multa dicere: sermonem enim praecipuum institutum de oecumenicis, seu generalibus, quae certam faciunt fidem catholicorum dogmatum, mox vt constat rite illa ac legitime fuisse celebrata.

Ad legitimam vero Conciliorum generalium celebrationem recte facta praecipua requiritur conuocatio, ab iis scilicet, ad quos iure spectat. Hoc autem ius ad solam Ecclesiam, prout animarum pastores complectitur, pertinere Imperatores ipsi confessi sunt; vt ex Valentiniani responso ad Episcopos constat apud Sozomenum (4); suadetque natura ipsa rerum, quae in Conciliis aguntur: videlicet fidei ac morum decreta condere, et disciplinae capita praescribere. Quod enim priora octo Concilia ab Imperatoribus christianis conuocata sint, siue illud Episcoporum consilio factum sit aut petitione, ius certe non arguit. Ex Pastoribus autem Romano Pontifici, tanquam Ecclesiae capiti ac Primati, generalium Conciliorum conuocandorum auctoritas singulari priuilegio concessa est, vt loquitur Pelagius II. Ea quidem Romani Pontifices omnia generalia Concilia conuocarunt, quae post octauum celebrata sunt, quantum ex ecclesiastica historia colligere licet. Exciipiendi sunt casus nonnulli, in quibus alteri quam Romano Pontifici, ius conuocandi generalia Concilia competit, quos Iueninus (5), alique recensent.

Sed praeter conuocationem, vt rite Concilia celebrentur, necesse est Patres collationibus, et disputationibus re diligenter tractata, liberrime, et ex intimo animi sensu sententiam dicere, veluti Iudices diuina ordinatione constituti. Neque enim dormientibus, et os-

G 2

ci-

(3) In Op. de Syn. dioeces. lib. 1. cap. 1

(5) Dissert. iv. de locis Theolog.

(4) Hist. lib. vi. cap. 7.

art. 1. conclus. 7.

Quando des-  
fuit Pont. v.  
quando e-  
vnt Pont.

citantibus Patribus Spiritum sanctum adistere credendum est. Requiritur tandem, ut ab eo Concilia praesideantur, ad quem iure spectat, Romano nempe Pontifice, quem per se, vel per suos Legatos omnibus fere Conciliis praefuisse facili negotio demonstrari posset. Quod si quandoque Imperatores legitime Synodo praefuerunt, quoad locum tantum materialem, et pro ordine ac pace conciliandi praefuisse, non vero quoad suffragium, et directionem, abunde ex Ecclesiae monumentis liquet.

Verum haec ex instituto persequi nostrum non est, qui breues esse consulto volumus. Habentur fusc dilucidata in eorum scriptis, qui huius loci auctoritatem vindicarunt. Nobis haec praenotasse sat fuerit, ut probandum adgrediamur generalia Concilia, hoc pacto celebrata, infallibili gaudere auctoritate in fidei ac morum rebus definiendis; atque ex illis sumta argumenta, siqua omnino ac certa esse, quod est praecipuum controuersiae caput.

Probaturo vero his momentis. Primum: quae Concilium generale definit Spiritus sancti auctoritate definit; at sic definiens errare in fide et moribus non potest: ergo eius auctoritas infallibilis est, cer. Probaturo propositio maior: Concilium ab Apostolis celebratum, cuius Scriptura meminit Act. xv. Spiritus sancti auctoritate definiuit; imo edita ab eo definitio Spiritui sancto tribuitur. »Visum est, inquit, » Spiritui sancto et nobis «: atqui idem ferendum est iudicium de Conciliis, quae in Ecclesia celebrantur, ac de priore illo coetu, reliquorum, qui post illum habiti sunt, regula atque norma: ergo.

Secundum momentum: quum duo vel tres auctoritate Christi in locum vnum congregantur, ab ipsoque veritatis cognitionem exposulant, eorum Deus preces benigne audit; dicente ipso Domino, Matth. xviii. »vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum «: potiori ergo iure talem veritatis notitiam largitur Episcopis in Concilio generali adunatis. Etenim adducta ex Mathaeo verba de Conciliis exponunt Synodus Chalcedonensis (6), Coelestinus Papa (7), aliique.

Tertium momentum: Ecclesiam non posse errare in fidei et morum iudiciis multis supra ostendimus; sed Concilium generale vniuersam repraesentat Ecclesiam: ergo. Minoris propositionis veritas constat ex his quae Augustinus docet (8); ex his etiam, quae Marti-

(6) In Epist. ad Leonem Roman. Pontificem.

(7) In Epist. ad Concil. Ephes. I.

(8) Lib. I. de Bapt. cap. 18.

tinus. V. ad calcem Concilii Constantiensis apponi iussit; nempe, ut ii, qui in haeresis suspicionem venerint, interrogentur, »an non credant Concilium generale vniuersam Ecclesiam repraesentare «.

Quartum momentum: traditione edocemur priorum saeculorum Concilia haereticos eos declarasse, ac anathemate confodisse, qui Conciliorum definitionibus subscribere noluerunt: tum iussisse fidelibus, ut id ex animo crederent, quod in Concilio fuerat definitum; haud dubitantes editas ab illis definitiones Spiritus sancti definitiones esse; in quarum defensionem exilia ac mortem ipsam plurimi passi sunt; quas tandem posteriora Concilia ad examen numquam reuocauerunt in his quae fidei ac morum esse viderentur; at hoc probat antiqua Ecclesiae Concilia in ea fuisse sententia, quod infallibili auctoritate donata illa erant: ergo id ex traditione euincitur.

Quintum momentum: si Conciliorum generalium auctoritas non esset infallibilis, redirent haereses omnes ab ipsis Conciliis damnatae: populus praeterea fidelis Conciliorum definitionibus acquiescens in errorem saepe duceretur, erraretque cum errante Concilio: neque vlla demum certa tutaque esset via, qua in fidei ac morum controuersis dogma catholicum exploraremus; sed haec absurda sunt, quae nulli in mentem subire poterunt, nisi vel insanus ille sit vel haereticus: Concilia ergo generalia infallibili gaudent auctoritate; ex eisque ducta argumenta pro fide ac moribus firma omnino ac certa sunt.

Sunt et alia pro Conciliorum eorundem infallibilitate amplius firmata, in morum illorum doctrina praesertim, qui ad salutem necessarii sunt. Et primo quidem: Paulus ad Ephesios iv. scribit, dedisse Deum Pastores, et Doctores ad consummationem sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinae; sed si Concilii Patres in moribus eiusmodi errarent, non docerent ad sanctorum consummationem: ergo. Deinde: si Ecclesiae Pastores in Concilio vocati, vitae morumque praecepta sinistre interpretarentur, qui eos a via iusta aberrantes sequeretur, erroris huius Christum praecipuum haberet auctorem, cuius est illud: »qui vos audit, me audit «: at hoc dicere impium atque blasphemum est: non ergo errant in huiusmodi morum doctrina Conciliorum Patres.

Nec tamen sic sentiendum est de moribus, qui ad priuatos homines, vel Ecclesias referuntur. In his enim errare per ignorantiam Concilium potest; non in iudicio tantum rerum gestarum, sed in ipsis quoque priuatis praeceptis et legibus: pender siquidem huius-

modi iudicium ab incertis hominum testimoniis: atque opinionem tantummodo sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli, ut loquitur Innocentius III (9).

## SCHOLION.

Certam ne vero Conciliorum generalium legitimorum decreta omnia christianae doctrinae fidem faciunt? Multa heic prudentia Theologus eget; quum nec ex loco sua natura firmo, ut iam pridem moneramus, firma semper argumenta eruantur; nec omnes Conciliorum definitiones certae sint; sed Patres, etiam quum adserunt se quidquam firmiter profiteri et credere, nihil omnino definiant, quod fideles sequi teneantur; ut ex Conciliis oecumenicis Lateranensi IV. et Vienensi Canus colligit (10). Quod ex Tridentino etiam colligere potuisset. Quid ergo? isat ne erit, ut Conciliorum decreta firma esse credantur in diuino officio ab vniuersa Ecclesia celebrari? minime gentium. Neque enim historiae, quibus Martyrum, et Confessorum gesta narrantur, etsi a Conciliis approbatae sint, fidei decreta sunt: sicut nec Opuscula Doctorum ecclesiasticorum, quae probata sunt a Synodo Gelasii Papae (11); nec si quicquam in Iuris canonici volumine continetur. Qui enim haec fidei dogmata esse credat haud erit Theologus nominandus.

Quae quum ita sint, facile intelligitur nulli, vel certe exiguo locum hunc vsui Theologo futurum esse, nisi aliquae viae, aut notae sint, quibus omnino certa Conciliorum de fide ac moribus decreta internoscantur. Sunt autem istae: Conciliorum decreta ad fidem pertinere, si contrarium adserentes haeretici indicentur. Quum insuper in hanc formam Synodus sententiam fert: si quis hoc, aut illud affirmauerit, vel negauerit, anathema sit. Quum etiam in eos, qui Concilii sanctionibus aduersantur, excommunicationis sententia fertur ipso iure cum anathemate: si quidquam praeterea, aut expresse et proprie a fidelibus omnibus seu fidei catholicae dogma firmiter credendum, aut reiciendum, seu Euangelio doctrinaeque catholicae contrarium; non ex opinione quae verbo videtur exprimi solet, sed certo et firmo decreto pronuntietur. Quae enim in Concilio decretis, vel rei explicandae gratia inducuntur, vel ut obiectionibus responsa adhibeantur, vel obiter et praeter praecipuum institutum, non sunt in fidei decretis habenda, nec firma ex eis argumenta a Theologo peti poterunt.

CA-

(9) In cap. A nobis. (10) Lib. v. cap. 5. (11) Dist. xv. cap. Sancta Romana.

## CAPVT X.

Argumenta soluit, quibus haeretici Conciliorum auctoritatem labefactare conantur.

Nullum prorsus esse Concilium, quod diuinam, proindeque infallibilem auctoritatem habeat, Lutherus docuit (1), contendens nullum esse, quantumcumque oecumenicum seu generale supponatur, quod non possit errare; quem errorem Caluinus amplexus est (2); vterque in eum prolapsus, quod vidisset impia sua dogmata a Conciliis fuisse damnata, atque denuo damnanda pertimesceret in Concilio, quod Tridentum Paullus III. conuocarat. Argumenta vero, quae illi, et ipsorum asseclae obiicere solent, sunt huiusmodi.

Primum ex Scripturis depromptum sic proponi valet: quod Episcopi in Conciliis adunati falli non possint ex aliquo pacto proficiscatur, necessum est; atqui non legitur in Scripturis pactum eiusmodi: quod enim legitur Malachiae II. nempe: »pactum meum (ait Dominus) cum Levi«, ceterum quod ad nouae Legis Sacerdotes extendi videtur, irritum factum fuisse propter peccata scandalum Dominus ipse testatur: ergo privilegio infallibilitatis non gaudent Patres in Conciliis congregati. Cui quidem argumento robur accedit ex illo Hieremiae cap. v. »Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? et tenentes legem, meam nescierunt me, et Pastores praeuariatati sunt in me«. Ex illo etiam Isaiae lvi. »Speculatores eius caeci omnes, neque quidquam nouerunt; omnes canes muti, nec valent latrare«. Deinde: Conciliorum infallibilis auctoritas illo testimonio Matthaei xxviii. probari solet: »vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum«; at hoc testimonium aequè probat Synodorum prouincialium iudicia certa esse: ergo.

Secundum ex Patribus desumptum ita se habet: coetus illi infallibilem non habent auctoritatem, quorum non est felix exitus: qui non possunt in controuersis fidei laudari; quique non raro a posterioribus emendantur: atqui Concilia generalia ea sunt, ut nullius se vidisse felicem exitum Gregorius Naziancenus scribat (3); ut non audeat Augustinus Nicaenum I. laudare aduersus Maximum (4); ut tandem priora Concilia plenaria a posterioribus emenda-

(1) In lib. de Concil.

(2) Lib. iv. Instit. cap. 9.

(3) In Epist. ad Procop.

(4) Lib. iiii.

dari ipse Augustinus dicat (5): infallibilem ergo auctoritatem non habent.

Tertium ex Conciliis ipsis petitur sic vrgent: plurima sunt generalia Concilia, quae in fide et moribus errarunt. Illud primo, cuius meminere Ioannes cap. viii. et Marcus cap. xiv. definiens Christum non esse Messiam in lege promissum: Tyrium deinde et Hierosolymitanum, in quibus M. Athanasius, cuius erat cum fide coniunctissima causa, damnatus fuit: Antiochenum, in quo idem Athanasius loco motus, et a sede deiectus est: Syrmiese, in quo noua fidei formula condita fuit: Ariminense, cuius etsi faustissima initia, lamentabilis tamen exitus legitur: expuncta siquidem ex Symbolo voce *in uerbum*, in uniuersum orbem Arianismus inuectus est, vt conqueritur Hieronymus (6): Ephesinum II. Eutychem absoluens, et Flavianum catholicum damnans: Chalcedonense, in quo absoluti Theodoretus Cyri, et Ibas Edessae Episcopi, quos postea Synodus V. oecumenica damnauit: Constantinopolitanum III. Honorii Papae Epistolas tanquam haereticas damnans; et Honorium ipsum anathemate feriens: Francofordiense, decretum de honoris imaginibus in Concilio Nicaeno II. latum reiiciens: ergo nec infallibilem illa auctoritatem habent, nec firmum ex eis argumentum duci valet.

Quartum ex personis, quae concilium integrant, hauriunt: constat Concilium, inquit, ex Episcopis, quorum maior pars mundum diligit, eiusque elementa in operando sequitur; aut saltem, quos nemo scit, an iusti vel iniusti sint: at hoc ipso infallibilia illa esse non possunt; quum illis Spiritus sanctus non adsit: ergo.

In immensum abiret labor noster si singula Nouatorum argumenta producere vellemus, vt nostratum multi faciunt, quos adire poterit, qui pleniorē exoptet huius rei notitiam (7). Nos ad ea quae ex haereticorum sententia nobis obieciēbamus, soluenda gradum facere cogimur. Et ad primum ex Scripturis petitur dicimus: non ex illo pacto Conciliorum infallibilitatem colligi, sed ex Christi promissis Ecclesiae suae factis, quae saepius memorauimus. Iam pacta illa vetera alla a nostris erant, vt pote temporaria, vt lex et sacerdotium. Quod autem ex Ieremia et Isala fuit additum, non pro omnibus, sed pro aliquibus Pastoribus dictum; iuxta vsitatam Scripturarum phrasim, Augustinus obseruat, vt supra dicebamus (8). Vel si de omnibus

(5) Lib. xi. de Bapt. cap. 3.

(6) In dial. aduers. Luciferianos.

(7) Can. lib. v. cap. 1. Iuuenii. Dis. xv.

de locis art. 4. (8) In lib. de vnit. Ecc. c. 2.

bus accipiendum sit, non prout in Conciliis congregati sunt, vel collectiue sumtis, vt nostri loqui amant, sed seorsim et distributiue consideratis. Sic enim non est eis promissa infallibilitas. Sed nec innititur praecipue hoc priuilegium Ecclesiae promissum testimonio Matthaei loco vltimo adiecto: in illo quippe nihil de Conciliis Ecclesiae Christus videtur praefinire, sed commendare vnitatis consensionem, vt quidam Theologi censent: intellecto tamen loco illo de Conciliis propter illorum auctoritatem, quos in probationibus laudauimus, dicendum; quod vt Concilia Christum in medio habeant, in Christi nomine, et auctoritate cogi debent, vniuersamque Ecclesiam repraesentare: quod solis Conciliis generalibus competit.

Ad secundum dicendum: nullum ex Patrum traditione haereticorum errori accedere praesidium: Nazianzenus siquidem loquitur de Conciliis sub Constantio Imperatore habitis, quorum plura non erant generalia; et in generalibus suffragiorum libertas defuit. Augustinus autem argumentabatur ex suppositione Maximini contententis Concilium I. Nicaenum non fuisse legitimum; contra vero legitimum fuisse Ariminense. Quum vero de Conciliis plenarius loquitur, sunt qui Augustinum de Conciliis nationalibus intelligendum velint. Quod si de generalibus ille vere locutus fuit, posteriora Concilia solere priora emendare tantum voluit in rebus facti, et ad disciplinam pertinentibus; non in his quae ad fidem et ad mores spectant: addit enim emendationem huiusmodi fieri, dum experimento aperitur, quod erat clausum. Quod sane in fidei ac morum questionibus locum non habet.

Ad tertium ex variis Conciliorum factis compactum singulatim respondendum est, breuiter tamen. Errauit Iudaeorum Concilium, eo tempore habitum, quo Synagoga infallibilis non erat: quum iam iam Christus aduenisset. Quid ergo inde aduersus Ecclesiae Concilia, quorum est infallibilitas perpetua? Nisi addamus, Concilium eiusmodi generale non fuisse; quum ad illud non fuerint vocati Sacerdotes extra Ierusalem degentes. Errarunt deinde Tyrium, Ierosolymitanum, Antiochenum, et Syrmiese; sed particularia erant Concilia, et ex haereticis maxime conflata. Ephesinum vero II. et Ariminense errarunt, quod per vim et fraudem omnia in illis gesta sunt: in primo scilicet, Dioscorus praesidentiam extorserat a Theodosio Iuniore; prohibuit postea ne Flavianus sententiam ferret: Patres a militibus, qui Basilicam occupauerant, vim passos fuisse in Synodo Chalcedonensi adseruerunt. In secundo vi et fraude Episcopi coacti ex Symbolo de-



leuerunt vocem *inueniunt*; communicaueruntque cum Arianis, ac toti Ecclesiae scandalo fuerunt. Sed eos nihil tunc definiisse fidei contrarium contendunt Theologi non ignobiles; atque oeconomiae tantum causa ac pacis studio a voce *consubstantialis* temperasse: hocque Patrum silentium in caussa fuisse vt orbis ingemerit, et se Ariam esse miratus fuerit: non re quidem, sed specie solum.

Quod autem atinet ad Concilia Chalcedonense, et Constantinopolitanum II. in nullo illa errasse constat. Damnauit siquidem V. Synodus Theodori scripta, non personam: eius contra personam, non scripta Synodus Chalcedonensis absoluerat. At VI. Synodus generalis, Constantinopolitana III. Honorium damnasse sunt qui negant, repentes illius Concilii acta interpolata fuisse, ac Theodori loco nomen Honorii insertum: aliis placuit Synodum Honorii Epistolam damnasse, quin tamen in eo errore agnoscant; non enim illas damnauit, quod haeresim Monothelitarum continerent; sed quod illius incremento fauissent, vsum vnus aut duplicis in Christo voluntatis prohibendo. Plures opinantur errasse Concilium in re facti humani, non in re iuris, in cuius vnice definitione infallibile est. Nonnulli tandem iudicant Concilium merito Honorii Epistolam damnasse, quia haeresim Monothelitarum in sensu obuiuo continebant. Vnaquolibet ex his responsionibus soluitur argumentum ex huius Concilii facto depromptum. Quod autem de Synodo Francofordiensi additur, sic dilui potest: reiecit quidem illa decretum Nicaeni Concilii, errauitque; at generalis non erat, quum Orientis Episcopi non fuerint ad illam vocati: fuit vero generale Nicaenum II. ex Orientis et Occidentis Episcopis coalescens. Errauit tamen Francofordiensis Synodus errore facti tantum; existimans Concilium Nicaenum definiisse eundem cultum sacris Imaginibus esse exhibendum, ac augustissimae Trinitati.

Ad quartum dicendum: quod licet in Conciliis quae ex Episcopis mundi dilectoribus, iniquis proinde, constant, non sit Spiritus sanctus, quantum ad gratiam gratum facientem, quae sane necessaria non est, vt Pastores veritatem doceant, veraque Sacramenta conficiant; est tamen in illis, quantum ad gratias gratis datas, quae et his conceduntur, qui peccato mortali subiacent. Neque id sine fundamento adseritur: Episcopi enim Christi nomine et auctoritate in Conciliis adunantur: vnde pro illis promissiones a Christo factae sunt. Corpori praeterea Ecclesiae necessarium est vt Episcopi veritatem doceant, quam prius agnouerunt; atque ad Christi prouidentiam at-

ti-

tinet illis adunatis auxilia, quibus id assequantur, confert.

## APPENDIX.

Subnectunt hic Theologi quaestiones duas. Prima: an Synodi provinciales, et nationales, et dioecesanae diuina gaudeant auctoritate; sintque proinde in fide et moribus infallibiles? Secunda: an Concilia oecumenica Romani Pontificis confirmatione egeant, vt adsertam infallibilitatem habeant? Priorem illorum sententia resoluiimus, qui eiusmodi Synodis diuinam auctoritatem, atque infallibilitatem denegant: non enim illae Ecclesiam vniuersam repraesentant, quae sola infallibilis est; sed repraesentant Ecclesias particulares, quae et errare possunt, et errarunt saepissime: vnde firmum pro fide et moribus argumentum: ex eis non potest erui: eruit tamen non leue, vt Lucius Papa III. iudicauit decernens (9), anathematis vinculo eos vere enodari, quos vel Romana Ecclesia, vel singuli per suas dioeceses Episcopi cum Concilio Sacerdotum, vel si oportuerit, vicinorum Episcoporum haereticos iudicauerint.

Posterioris quaestiones resolutio ex varia vocabuli *Confirmatio* intelligentia pendet. Primo enim significare videtur, robur et auctoritatem impertiri: deinde ratum habere, ac declarare quod requisitae conditiones fuerint obseruatae. Itaque Romani Pontificis confirmationem non ita accipiendam ac intelligendam esse, vt totum robur generalis Concilii a Romano Pontifice sit, indubitate rei loco ab omnibus habendum est. Nam Synodum oecumenicam in Spiritu sancto legitime congregatam, et vniuersalem Ecclesiam repraesentantem, auctoritatem a Christo immediate habere, dogma catholicum est, superius demonstratum. Quoniam vero conditiones quaedam ad Synodum generalem necessario concurrunt, quas proximo capite memorabamus, necesse est aliquam in Ecclesia auctoritatem esse, cuius sit iudicare ac declarare quod sane seruatae illae in Synodi celebratione fuerint. Ex qua insuper declaratione consequitur christianorum omnium obligatio acquiescendi eius de fide ac moribus decretis. Id porro praestare Romanum Pontificem, quum Synodi oecumenici decreta promulgat, atque eorum executionem imperat, vel solum sacrarum Scripturarum exemplar commostrar, quae auctoritatem a Deo immediate habent, et tamen ad Ecclesiam spectat declarare quaeenam canonicae et diuinae sunt: vnde illud Augustini dictum: »Euangelio

H 2

»NON

(9) In cap. ad abolendum, de haeret.

»non crederem, nisi me Ecclesiae moueret auctoritas«. Sed et com-  
monstrant plurima Ecclesiasticae historiae momenta, quae Natalis  
Alexander in hanc rem congescit (10).

## CAPVT XI.

*De auctoritate Romanae sedis, quae in Primatu supra ceteras  
orbis Ecclesias posita potissimum est.*

Romanus Pontifex habet iure diuino Primatum iuris-  
dictionis in vniuersa Ecclesia.

*hic non  
loqui nua*

*De iure  
successionis*

*Deo prius*

*de iure  
Primatus*

*vide fol.  
66.*

Sacrum hunc Primatum, quem Christus in Ecclesia perpetuo má-  
nere voluit ad vnitatem conseruandam, Romanae Ecclesiae Antisiti-  
credutum fuisse ex Primatu Petri demonstrare nostri Theologi con-  
nantur hac ratione: ille habet iure diuino Primatum iurisdictionis in  
Ecclesia, qui legitimus est Petri successor; qui enim Petro succedit  
eandem, quam Petrus habuit in Ecclesia, auctoritatem habeat neces-  
se est; sed Pontifex Romanus Petri successor est: ergo Primatum iu-  
risdictionis iure diuino habet in Ecclesia. Petrum autem iure diuino  
Primatum habuisse in Ecclesia docent Scripturae: dicitur enim Mat-  
thaei xvi. quod postquam Christus suos discipulos interrogasset: »quem  
dicunt homines esse Filium hominis«: respondissetque Petrus: »Tu  
es Christus Filius Dei viui«; reuerens Iesus dixit: »et ego dico ti-  
bi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam  
meam«. Quum vero idem omnino sit iuxta metaphoram domus  
fundamentum, quod seruata analogia corporis caput; manifeste col-  
ligitur Petrum, vt Ecclesiae caput, ita et fundamentum esse. Idem  
eruitur ex cap. xxi. Ioannis.

Nostro tamen iudicio haud sat foret ostendisse Petrum inter Apos-  
tolos Primatum ex Christi instituto habuisse, vt inde demonstratio-  
ne ostensum sit Romanum Pontificem eundem habere in Ecclesia Pri-  
matum. Quippe non omnis a Petro fundata Ecclesia hunc habuit  
Primatum: alioquin Antiochena, aliaeque orbis Ecclesiae, quas consti-  
tuit, et ad tempus saltem rexit, Primatum sibi vendicarent. Ea propter  
alia nos via Romanae sedis auctoritatem tuebimur.

Et primo quidem demonstratur Romani Pontificis Primatus ex Con-  
ciliis.

(10) Dissert. iv. in hist. Eccl. saecul. 15, et 16. §. 5.

liis, Nicaeni I. canon vi. ita se habet: »Ecclesia Romana semper ha-  
»buit Primatum«. Sed verba haec in canonem irrepisse, nec genuine  
esse eruditi existimant. Hinc eo Concilio praetermisso ad alia gradum  
facimus. Concilii Constantinopolitani I. canon xx. »Constantinopoli-  
tanae ciuitatis Episcopum, inquit, habere oportere Primatus honorem  
»post Romanum Episcopum«. Quo sane decreto Romanam Ecclesiam  
omnium Ecclesiarum primam esse declaratum est; ac priuilegium,  
quo antiquitus fruebatur, sartum rectumque seruatum. Concilium  
etiam Chalcedonense Primatum Romanae sedis, et agnouit, et omi-  
bus notum fecit his verbis a sancto Thoma relatis (1): »veneramur  
»secundum Scripturas, et canonum definitiones sanctissimum Romae  
Episcopum primum esse, et maximum Episcoporum«. Concilium quo-  
que Aquileiense Romanum Primatum agnouit ad Imperatores Gratia-  
num, Valentinianum, et Theodosium scribens, ac »Romanam Eccle-  
»siam totius orbis caput« dicens. Et Concilium Constantiense Ro-  
mani Pontificis Primatum firmat, sententias ei contradicentes dam-  
nans: illam quidem Ioannis Wiclefii: »non est de necessitate salutis  
»credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias«. Hanc vero Ioannis Hus: »Romanus Pontifex non est caput Romanae  
»Ecclesiae«. Hanc insuper in Concilio Florentino, Graecis consenti-  
entibus, legimus definitionem (2): »definimus Apostolicam sedem,  
»et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apos-  
»tolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput«;  
ergo Ecclesiae Concilia indubitam fidem faciunt Romani Primatus.

Demonstratur rursus ex Patrum scriptis, seu ex traditione. Ex  
Graecis Irenaeus Romanam Ecclesiam maximam, et antiquissimam vo-  
cat (3). Athanasius ad Felicem Papam scribens: »ob id vos, inquit,  
»praedecessoresque vestros, apostolicos videlicet Praesules; in sum-  
»mitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere prae-  
»cepit, vt nobis succurratis«. Gregorius Nazianzenus in carmine de  
vita sua sic canit:

»Natura binos haud quidem Soles dedit,

»Dedit ipsa binas attamen mundi faces

»Romas: vetustam scilicet ac nouam:

»Fides vetustae recta erat iam antiquitus,

»Et

(1) In opusc. cont. errores Graec. (2) In decreto vniuers. (3) Lib. iiii.

»Et recta perstat nunc item nexu pio,

»Quodcumque labens Sol-videt deuiciens,

»Vt vniuersi Praesidem mundi decet.

Ex Latinis Cyprianus scribit (4): »Petri cathedra Ecclesia principalis est, vnde vnitas sacerdotalis exorta est«. Hieronymus haec habet (5): »ego nullum primum nisi Christum sequens, benedictionis tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus est«. Augustinus sic loquitur (6): »In Romana Ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit Principatus«. Prosper in carmine de ingetatis sic cecinit:

»Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris

»Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,

»Relligione tenet.

Ergo et ex Patrum scriptis, seu traditione, constat Romanae sedis Primatus.

#### COROLLARIA.

Ex his autem, quae pro Romani Pontificis Primatu adserendo dicta sunt, colliguntur quaedam, quas maximi facienda sunt pro sedis apostolicae legitima auctoritate agnoscenda atque ruenda. Primo: Romani Pontificis Primatum semper in omnibus orbis christiani Ecclesiis obtinuisse. Secundo: Romanorum Pontificum decreta magno semper in praetio fuisse habita, quum apud particularium Ecclesiarum Episcopos, tum apud Concilia ipsa. Tertio: illorum decreta locum theologicum esse, ex quo ad fidem stabilendam, et regulandos mores argumenta eruuntur.

Alia etiam ex ipsa Primatus natura, Theologi efficiunt consecraria. Quod spectat maxime ad absolutam Romani Pontificis infallibilitatem suos hinc inde res habet Patronos; quorum momenta sua probabilitate pro vtraque parte gaudere iudicamus. Pro affirmante pugnant Itali, quibus proximioribus saeculis adhaesere, et plurimum, Hispani nostri. Pro negante vero stant Galli; quos Hispani quidam clarissimi antiquius fuisse secuti; nec desunt hac aetate nostra plures,

(4) Epist. LV. ad Cornelium Papam. (5) Epist. LVI. ad Damas. (6) Epist. XLIII.

res, qui in eam opinionem eant. Ast opinionis limites quum neutra sententia praetergrediatur, caueant Theologi illi, qui pro eis, tanquam pro aris et focis digladiantur, ne fidei catholicae dogmata cum opinionibus confundant, et ex diuinis humana faciant: quum enim, et qui aiunt Papam infallibilem esse, et qui negant, aequae christiani catholici sint, neque idcirco alterutri vt haeretici damnentur, quaestio haec, quemadmodum et aliae bene multae, inter eas reponenda est, quae, salua catholicae fidei compage, pro et contra a Theologis disputantur: qui tamen vtriusque opinionis momenta nosse cupiat, legat praec reliquis Dupinum (7), Bossuetium (8), pro parte contradicente: pro asserente vero Bellarminum (9), Canum (10), alios.

#### CAPVT XII.

*Haeticorum errorem erga sedis Apostolicae auctoritatem describit: eorumque argumenta refutat.*

Apostolicae sedis non auctoritas modo, et grauitas, sed omnis etiam omnino vis, et facultas semper ab haeticis impugnata est. Ex his Wiclefus, teste Thoma Waldensi (1), dixit profuturum Ecclesiae, »si careret Papa, Capitano, quia tunc descenderet gratia in omnes homines perpendiculariter«. Statuit insuper (2), Papam esse Antichristum; nec esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Similia protulit Ioannes Hus (3). Post hos Lutherus Papae Primatum aggressus est saepissime (4). Nec tamen sibi constat; sed quandoque Romanum Primatum admittit, humano licet iure (5). Quam eius fuisse mentem testatur ipse (6), et pro ipso Melancthon (7). At postquam a Leone X. damnatus est nulum iam seruauit modum, sed Pontificem passim Antichristum appellauit. Lutherum securus Zuinglius (8) negat Papam dici posse Ecclesiae caput: quin et impossibile existimat hominem visibilem Ecclesiae, quae inuisibilis est, caput esse. Caluinus praeterea negauit (9) Primatum.

(7) Dissert. de antiq. Eccl. discip.

(8) De libert. Eccl. Gallic.

(9) De Roman. Pontif.

(10) Lib. vi. capp. 3. 4. et seqq.

(1) Tom. I. Doct. fid. ant. lib. II. art. 3.

(2) In Adsertionib. n. 15. (3) In Artic.

(4) In Thesib. Lipsiae disputat. Et

in disputatione ipsa cum Ecchio.

(5) In Resolut. Proposit. Lipsiae

disputatarum, num. 15.

(6) In Epist. ad Emserum.

(7) In Epist. de Disput. Lipsica.

(8) In Comment. Epist. ad Colos.

(9) In Lib. iv. Inscitur.